

ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturae communis fragilitatem existimesco: doleoque, cum respublika immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si vero ad humanos casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumque consensio: quem deum, etiam si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?

VIII. Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda soboles: omnia, quae dilapsa iam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata respublika, quicumque belli eventus fuisset multa perderet et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae: multaque uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. Quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt: quibus, praeter te, mederi nemo potest. Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: *satis te diu vel naturae vixisse, vel gloriae*. Satis, si ita vis, naturae fortasse: addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, *satis te tibi vixisse*. Credo; sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium, cunctamque rempublicam res tuae gestae complexae sint; tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuae vitae, non salute reipublicae, sed aequitate animi definies? quid, si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cujus te avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. Parumne igitur, inquires, gloriam magnam relinque-